

IX. Corruptibilitas. Cœlum aliquando
cum toto mundo substantialiter & totaliter
corruptum iri in extremo die, non vi suâ, sed
divinâ & supernaturali; in Cosmologia datij
argumentij probavimus tum aliundè, tum præ-
cipuè ex sacra scriptura deductis. Præterea cœ-
lum suâ naturâ esse corruptibile & corrumpi
secundùm partes (adeoq; etiam generari, cum
corruptio unius sit generatio alterius) sicut
omnia elementa tantùm secundùm partes cor-
rumpuntur, ibidem demonstravimus tum ex
materie primæ essentiâ, cum ex novis stellis
sepius in cœlo generatis; ut in Astrologiâ osten-
sum, tum alijs rationibus. Quamvis modus no-
bis incognitus sit, quo fiat in cœlo generatio vel
corruptio; cum verisimile satis non sit fieri per
qualitates contrarias elementares. Ex modi
autem ignoratione, rei ipsius veritas non est
neganda.

CAP. III.

De cœlo in specie, hoc est, de partibus seu
orbibus cœlestibus vulgò existimatis, itemq;
de via lactea in cœlo.

Cœli stellati divisionem nos nullam agnosci-
mus, sed dicimus illud esse unum continuum
& tenuissimum corpus, in quo stelle motu proprio
sicut pisces in aquis moventur. Alij